



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Deo, Angelis Et Actibus Humanis

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

De Genere proximo Theologiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82949](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82949)

TRACTATUS I.

De Deo secundum se spectato.

PROLOGUS.

Si fundamentis omnes quæstiones præxiales Theologicæ discutiendæ essent, multa essent dicenda ex materia de fide, materia de scientia, & habitibus &c. Ne ergo bis idem dicatur, indicabo potius difficultates, quàm de illis disputabo.

Analysis totius Theologiæ.

PRÆMITTO 1. *Quasi Analysis totius Theologiæ:* Teste Bellarmino de Scripturis Ecclesiasticis Primus in ordinem redegit Theolog. S. Damasc. Libris 4. de orthodoxa Fide: Eum secutus est Petrus Lombardus, Doctor & Episcopus Parisiensis; qui ad quæstiones Theologicas, competentes sententias Patrum collegit, eaque propter appellatur Magister sententiarum: Opus illius distinguitur in quatuor libros sententiarum, Magistro successerunt varii interpretes præcipue S. Thomas & Scotus; Primus quidem postquam scripsisset quæstiones disputatas, & quodlibeta, post Commentaria in Magistrum, & post quatuor libros contra Gentiles aliæque Opuscula, tandem confecit istum librum qui appellatur Summa S. Thomæ, quam Nostri in Scholis Theologicis explicant, appellavit autem Divinam hunc librum, Summam; ut incipientium ingeniis prodesset, sicut Magistri explicantes Ciceronem prius summam brevem captui discipulorum distant. Nobisque anam præbuit censendi operam hanc suam, Summam, hoc est excellentissimam esse, cujus hæc est Analysis. Divisus est Liber in tres partes. In primam, secundam & tertiam Partem, secunda autem pars subdividitur in primam partem secundæ partis, appellaturque prima secundæ, & in secundam partem secundæ partis, vocaturque secunda secundæ. In prima parte præmissa quæstione unica de natura Theologiæ, incipit discurrere de Deo, ut est in se, adeoque de Essentia Dei, unitate, Attributis, visione, scientia, voluntate, Trinitate, posteaque in eadem prima parte, à quæst. 44. incipit disputare de Deo, prout est causa creaturarum, tractatque de illis in communi, & postea in particulari incipiens ab Angelis, descendendo ad productionem corporeorum, præcipue hominis, ubi attingit statum innocentie, creaturarum gubernationem, directionem ad finem &c. Quia verò intentio S. Doctoris erat tradere notitiam de Deo, & secundum quod in se est, & secundum quod finis noster est: hinc in prima secundæ agit de motu rationalis Creaturæ in Deum tanquam finem, de mediis intrinsecis ad eundem consequendum, per actus humanos; in præ explicando, quomodo recedatur ab illo finis, & accedatur per gratiam, adeoque

in genere tractando de vitiis & virtutibus. In secunda autem secundæ tractat de Virtutibus, & de vitiis in particulari. Denique in tertia parte tractat de mediis extrinsecis consequendi finis nostri, qualis est Incarnatio, Sacramenta. Denique de fine prout est in executione, quod referri debuissent materiæ de statu Beatorum, Resurrectione corporum, Judicio utroque, quem librum antequam perficeret emortuus infinitum reliquit, scribique maluit in beatitudinis fastos, quam de eascribere.

De Genere proximo Theologiæ.

PRÆMITTO 2. *Quodnam sit genus ponibile in definitione Theologiæ?* Divisi sunt Auctores. Aliqui enim dicunt, quod pro genere Theologiæ dicat Fidem, in qua serie est Sylvester & Altrifodorenensis, docentque Theologiam esse Fidem, prout extenditur ad Conclusiones; ex revelatis deductas, quam classem etiam sequitur Vasq. hic d. r. n. 8. vultque Theologiam esse fidem acquisitam. *Vtræque hæc explicatio.*

NON SATISFACIT. Non prior, quia non explicat, quomodo hæc fides non extendatur ad aliquid extra suum objectum, cum illa non attendat ad vim Conclusionis qua talis, utpote ininitentis principio non revelato, & tamen Theologia attendit ad vim Conclusionis. Sententia etiam Vasquez non satisfacit. Quia habitus acquisitus debet proportionari infuso, ut probas inductio; jam autem nulla est proportio inter Fidem & Theologiam: quia illa non respicit Conclusionem quæ ralem; respicit Theologiam.

Communiter pro genere in definitione Theologiæ ponitur scientia, sed restat hæc difficultas: quia scilicet definitivè scientia evidentiam requirit, jam autem Theologia non est habitus evidentium, quia assumit pro principiis, & præmissis propositiones revelatas, quæ obscuritatem involvunt. Quod si Principia sunt obscura, Conclusio clara ex illis nullo modo deduci potest: sicut enim ex incertis non potest deduci Conclusio certa, sic nec ex inevidentibus evidens. Ad hanc difficultatem solvendam, varias vias inierunt Auctores.

R. P.
J. H. MŁOD
ZIANOWSKI
Tom I. c. Z.
D. VI

EXPLICANT I. Aliqui, quod scilicet Theologia licet non habeat evidentiam consequentis, habet nihilominus evidentiam consequentiam. *Hec Explicatio.*

NON SATISFACIT I. Quia quæro. An præter ipsam evidentiam illationis & consequentiam, attendat etiam habitus Theologiæ, ad ipsam evidentiam consequentis, vel non attendit? si non attendit, ergo nihil habebit Theologia, quo distinguatur à Logica: quia hæc attendit in omnibus scientiis, ad evidentiam consequentiam, quæ includitur intra formale & latitudinem Logicæ. Si autem attendit ad evidentiam consequentis: ergo non stas in responsione, in qua salvabas evidentiam in Theologia, per evidentiam consequentiam. Hinc ulterius Inferes Mathematicam quamvis procedat ex suppositione, attendere nihilominus ad connexionem & evidentiam materiale ipsius consequentis, quod & reliquæ scientiæ faciunt.

NON SATISFACIT 2. Quia si ad rationem scientiæ invehendam in habitum, in cuius materia, sit argumentatio, sufficit sola evidentia consequentiam. Ergo quod non est scientia, erit scientia, quod ipsum Prob. quia Opinio non est scientia, & tamen ex vi huius doctrinæ, erit scientia: nam etiam in argumento Topico, datur evidentia bonitatis Consequentiam.

NON SATISFACIT 3. Quia ostensum est in Logica, quod etiam ad argumenta aliarum scientiarum elicitivè concurrat Logica, ergo etiam ad evidentiam consequentiam, in alienis materiis attendet: qui enim id eliciet habitus, ad quod non attendit? Quare autem inde non sequetur solam Logicam esse scientiam, ibidem dictum est. In hoc ultimè resolvitur doctrina, quod ad evidentiam consequentiam formalem, & prout innitente in regulis Logicis attendat Logica: ad materiale autem connexionem, alia scientiæ.

EXPLICANT 2. Aliqui Thomistæ Evidentiam assensuum Theologicorum: quia scilicet Principia quæ assumit sunt DEO, & Beatis evidententer nota. *Hec Explicatio.*

NON SATISFACIT I. Si sufficit ad scientificandam propositionem evidentiam, quam de illa propositione habet DEUS: ergo etiam fides nostra erit evidens & scientifica; quia articuli obscure revelati, Deo & Beatis sunt evidentes.

NON SATISFACIT 2. Quia illa evidentia quæ adstruitur vel fundat respectu viatorum evidentiam, ut aliqui dicunt, objectivam? vel fundat evidentiam subjectivam? si fundat evidentiam objectivam, hæc non ostenditur major, quam sit in ipsis principiis fidei, & cum debeat esse in ipso objecto inclusa, non apparet qui derivetur ab evidentia Dei & Beatorum? Deinde Certitudo & determinatio quam DEUS habet de una ex contradictoriis

Contingentibus liberis, non facit, quo minùs nos dicamur habere scientiam prædictorum futurorum, ergo neque fiet ut dicatur Theologia habitus evidens, ab evidentia de illis objectis habitata à DEO & Beatis. Quod si ex illa notitia Dei & Beatorum, dicas derivari in Theologicum assensum, etiam evidentiam subjectivam. Contra est, quia her hoc jam deseris tuam responsionem: nam nullo modo in ipso assensu, dicebas includi evidentiam, sed non nisi in notitia Dei & Beatorum. Deinde nemo redditur noscens notitiā alienā, alias nullus esset rudis, ergo neque potest dici evidententer noscens, quia alius evidententer noscit. Quod ipsum ulterius in hoc fundatur, quia cum notitiā identificentur evidentia, sicut non potest dici aliquis noscens notitiā alienā, sic nec potest dici evidententer noscens, evidentia alius.

NON SATISFACIT 3. Quia casu, quo creatura erret circa objectum, quod Deus certò cognoscit: non dicitur creatura certò cognoscere propter notitiam certam, quam Deus de illo objecto habet: ergo nec ex eo, quia Deus aliquid evidententer cognoscit, creatura evidententer cognoscat.

DICES. In assensibus subalternatæ scientiæ, nulla est evidentia; & tamen scientia subalternata, est verè scientia, propter hoc solum: quia subalternanti, Principia illius, sunt evidenter. Ergo etiam quamvis Theologiæ nostræ sint inevidentes præmissæ, sufficit quod sint evidentes Theologiæ DEI & Beatorum.

RESPONDERI POTEST Neg. Theologiam nostram esse propriè subalternatam Theologiæ Beatorum: Pone enim Deum per impossibile non habere de aliqua re intuitivam scientiam, & decrevisse quod nolit dare rationali creaturæ beatitudinem: numquid non poterit jam de ullo objecto verum dicere? si autem verum dicet, numquid non merebitur assensum? præcipue cum ejus infallibilis veridicitas, mereatur assensum, cur non poterit ex præbito assensu, deduci legitime Conclusio aliqua Theologica, adeoque stare Theologia, quin innitatur intuitivæ scientiæ DEI & Beatorum, Theologia, inquam, saltem ut sic spectata. Dantur item objecta, quæ Deus & Beati non noscunt per virtualem discursum, sed per simplicem intuitum: objectum ita cognitum, nonne poterit DEUS revelare? nonne ulterius poterit Theologicè cognosci? & tamen tunc Theologica cognitio non esset subalternata: quia de ratione subalternatæ, est accipere pro præmissis, Conclusiones subalternantis, quæ in dicta suppositione nullæ erunt, utpote procedentes secundum rationem simplicis apprehensionis, & ne virtualiter quidem discursivæ.

Quando autem S. Thom. agnoscat subalternationem nostræ Theologiæ à Theologiæ DEI & Beatorum: non agnoscat subalternationem

rationem rigorosam. Multi etiam censent scientiam subalternatam quā talem, non esse propriē scientiam: quia quā talis non habet evidentiam; & sic Musicus quā talis, habet artem, non scientiam. Denique dici potest, quod præmissæ subalternatæ, possint salvare rationem scientiæ in subalternata: quia quamvis non sint evidentissimæ; sunt tamen evidentes. Et ita, hic syllogismus medicinæ, vulnus circulare, seu ejus latera difficilē coeunt difficilē curatur, vulnus A est tale. Ergo. Prima præmissa est evidens, per experientiam saltem aliorum. Minor est evidens, per experientiam sensuum. Unde adhuc & Conclusio poterit esse evidens. Sed non est prima præmissa evidentissima Medicinæ, estque adhuc ulterius probanda à Physiologia, sed id rationi scientiæ non officit: quia scientiarum, ex naturalibus deducibilium, præmissas, probat adhuc Metaphysica, et tamen etiam alia scientiæ, sunt veræ scientiæ.

EXPLICAT 3. Quidam, supponitque in primis quod Assensus Theologiæ nostræ sit intrinsecè & essentialiter inevidens, utpote procedens ex inevidentibus. Supponit deinde, quod principia evidentiæ Logica, de bonitate consequentiæ, non concurrant ad assensus Theologicos per se, & secundum suum esse simpliciter, alioqui, essent clari & evidentes. Sed solum quod concurrant prout contrahuntur à præmissis, sicut tibi recta cum curva non perficit, nisi claudicationem. Supponit denique principium illud, Conclusio sequitur debiliorem partem, duplicem sensum posse habere, nempe vel positivum, vel negativum; positivum sensum habebit, si dicas: Conclusio ita est certa, sicut est certa præmissa debilior; alium negativum: Conclusio non est ita certa, sicut est certa præmissa certior; & dicebat in hoc solo posteriori sensu axioma illud verificari: consequenter dicebat quod Conclusio Theologica non sit ita fortis in certitudine, sicut est fortis præmissa de fide; non tamen est ita debilis, sicut est debilis præmissa naturalis. His suppositis. Docebat, Theologiam non esse scientiam Aristotelicam, nihilominus esse scientiam absolutē & simpliciter. *hæc explicatio.*

NON SATISFACIT. In quantum docet quod evidentiæ principiorum regulantium bonitatem consequentiæ, non concurrat ad syllogismum Theologicum secundum suum esse simpliciter: quia alias non ita evidenter concluderetur ratione formæ syllogismus Theologicus, ac alii syllogismi; & tamen si negetur syllogismo Theologico consequentia, putatur negans, æqualem errorem committere ratione formæ, ac committit negans consequentiam in aliis syllogismis. Et certè si syllogismus factus in A. B. C. æqualem habet evidentiæ Conclusionis, atque syllogismus demonstrativus; cur non idem dicendum de Theologia?

ASSERO 1. Non debere pro genere ad Theologiam assumi quod sit scientia propriē. Ratio, quia syllogismus Theologicus debet assumere vel duas, vel unam præmissam de fide; alias esset syllogismus sine principiis sibi debitis. Si assumet utramque præmissam de fide, etiam Conclusio sequetur inevidens: quia extrema non possunt evidentiū connecti inter se, quā fuerint connexa cum medio. Si autem erit una naturalis evidens de fide, adhuc Conclusio erit inevidens: quia debet sequi debiliorem partem. Jam ergo, vi præmissarum, evidentiā, non salvatur in Theologia. Aliunde etiam non salvatur: ergo concluditur illam esse inevidentem adeoque neque scientiam: quia hæc per Aristotelem debet esse evidens.

DICES. 1. In oppositum esse Auctoritatem S. Thomæ, qui frequenter Theologiam, vocat scientiam sine ulla limitatione.

RESPONDETUR S. Thom. Theologiam appellare scientiam, eò quod magis sit similis scientiæ, sed non appellare scientiam simpliciter, & rigorosè: quia etiam S. Thom. q. 14. de ver. art. 9. dicit propriē scientiam perfici per evidentiā.

DICES. 2. Habitus discursivus ita firmus & certus, ut eum repugnet esse falsum; potest dici simpliciter, & absolutē scientia: Theologia autem est talis, deducit enim legitime ex certis: Major Probat. Omnis habitus discursivus directè, & adæquatè oppositus opinioni, quā sit virtus Intellectus, de cujus essentiali ratione est ex 6. Eth. c. 6. ut per eam anima semper dicat affirmando vel negando, si inquam æque sit ars, neque prudentia, neque intellectus; debet esse scientia vel sapientia. Theologia autem dicit talem oppositionem cum opinione: ergo Minor Probat. quia opinio est assensus essentialiter incertus, formidolosus, nec semper attingens verum, ergo assensus ita certus, & firmus, ut neghet eum esse falsum, est directè & adæquatè oppositus opinioni.

RESPONDETUR. Negando assensum Theologicum, esse adæquatè oppositum opinioni, & sicut fides Divina, quamvis sit opposita opinioni, secundum certitudinem; quia non est opposita secundum evidentiā, cum utraque sit inevidens, est opposita inadæquatè, & non est scientia; ita & Theologia. Et licet opinio sit assensus incertus & formidolosus, certitudine sua, non est adæquatè opposita Theologia opinioni: quia formidolositas opinionis, stat in inevidentiā, cui nihil opponit Theologia.

INSTABIS. Quamvis qualibet de facto opinio sit incerta & inevidens, id tamen quo formaliter constituitur in esse opinionis est incertitudo: si enim per impossibile notitia esset evidens & incerta adhuc esset opinio.

RESPONDETUR. Negando assumptum cum sua probatione: cum & formidine, & inevidentiā definitivè stet opinio: est enim Assensus

R. P.
H. MŁOD
ZIANOWSKI
Tom. I. c. 2.
D. VI

sentus cum formidine, hoc est incertus & inevidens. Et sicut impertinenter aliquis argueret, quod Petrus quamvis non foret animal, vel rationale, adhuc esset homo, quorum utroque constituitur in esse hominis; ita impertinenter dicitur, quod talis notitia esset opinio, quamvis foret evidens, incerta tamen. Unde eo casu, talis impossibilis notitia constitueret medium quid per impossibile, inter scientiam & opinionem. Quamvis autem Aristoteles divideret omnes habitus Intellectuales, non sequitur, Theologiam esse rigorosè unam ex illis: quia ipse divisit notitias parabiles ex principiis ordinis naturalis, ex qualibus, non procedit Theologia.

DICES 3. Cum Gillio. Supernaturalia, quorum naturam ignoramus, solemus appellare nominibus rerum illis simillarum, inter habitus autem naturales, simillima est Theologia scientiæ.

RESPOND. Simillimam quidem esse, non tamen rigorosè scientiam. Deinde cum demonstrari non possit existentia Angelorum, sed nonnisi ex supposita revelatione certo nosci, certitudo existentiae illorum in Philosophis Ethnicis non dabatur; habebant tamen certitudinem de brutis & hominibus; & quando ex conjecturis agnoverunt Angelorum existentiam, eos nec revocaverunt, nec revocare potuerunt ad membrum, quod est homo, quamvis sint simillimi hominibus: ita ex similitudine Theologiæ ad scientiam, non sequetur per locum intrinsecum, Theologiam revocari debere ad scientiam.

INSTABIS. Cum eodem. Aristoteles dum meminit scientiæ, sæpius meminit certitudinis, quam evidentiae.

RESPONDETUR. Est hoc argumentum ab Auctoritate negativa, & sicut dum meminimus hominis, frequentius meminimus rationalis, nec tamen sequitur hominem non stare essentialiter etiam ratione viventis insensitivi; ita & in præsentia.

ASSERO 2. Pro genere Theologia importat rationem scientiæ latissimè sumptæ. Ratio. Tum, quia S. Thom. Theologiam appellat scientiam; Tum, quia ratione definitionis, divisionis, argumentationis maximè accedit ad scientiam; Tum, quia sicut olim nomen scientiæ usus applicuerat ad significandas notitias certas, & evidentes; ita & nunc applicuisse poterat ad notandum id, quod in sua certitudine procedit definiendo, dividendo, syllogizando, licet cum inevidentia. Cæterum commodius assumetur pro genere virtus Intellectualis, dixi virtus, non habitus, ut extendatur nomen Theologiæ, etiam ad actus illius. Dixi virtus Intellectualis: quia Theologia est species, dividens virtutem Intellectualem; licet non agnita ab Aristotele; in membris autem dividendis deserviendis, pro genere assumitur id, quod dividitur. Commodius autem assumetur nomen virtutis Intel-

lectualis, quam nomen scientiæ latius sumptæ, si usum vocandi demas: quia definitio scientiæ quam agnovit Aristoteles non patitur hanc attributionem. Et sicut finius non potest dici homo latius sumptus: quia id non patitur definitio hominis, sic nec Theologia potest dici scientia latius sumpta (dempto usu vocabuli) quia id non patitur definitio scientiæ, importans evidentiam, quæ non competit Theologiæ.

ASSERO 3. Pro genere scientiæ Theologiæ, non debere assumi, quod sit virtus discursiva. Ratio, quia definitio, divisio, enuntiatio Theologiæ, sunt actus Theologici; & tamen prædicti actus, quæ tales, non sunt discursivi. Et sicut Physica non dicitur esse scientia circa corpus naturale quæ tale, discursiva. Item Metaphysica, non dicitur esse scientia circa ens ut ens, syllogisticè procedens, ita nec de Theologia, idem dici debet. Quod si dicas, definitionem Theologicam revocari ad syllogismum Theologicum, id impugnandum est, ut impugnatum est in Logica, quod solus syllogismus sit objectum adæquatum Logicæ.

DICES. Omnes communiter Theologiam appellant habitum, ex assensibus fidei syllogisticè deductivum.

RESPONDETUR. Appellari Theologiam talem habitum ratione actus maximè necessarii: iste enim actus est, quo principaliter utitur Theologia pro defensione fidei, ad cuius defensionem, dicit illam esse necessariam, S. Thomas. Unde ulterius.

INFERES. Definitiones & Divisiones Theologicas prout immediatè innuntantur primæ veritati esse actus fidei; licet sint verè actus Theologiæ, in quantum procedunt in materiis Theologiæ, secundum præscriptum scientiarum, & in quantum attendit Theologia ad materiale generis, & differentiæ ponibile in definitione.

De Differentia ultima Theologiæ.

PRÆMITTO 3. Quenam sit differentia ponenda in definitione Theologiæ? Differentia petitur ex objecto; objectum autem est conflatum ex materiali & formali, circa quod.

ASSERO 1. Materiale objectum Theologiæ esse idem, quod fidei. Ratio. Id quod determinat ratio formalis Theologiæ, est objectum materiale Theologiæ, ut suppono ex Logicis; sed id quod est objectum materiale fidei, id determinat ratio formalis Theologiæ. Quod ipsum probatur, quia nullum est objectum, cui possit conjungi ratio formalis fidei, ut illi non possit conjungi ratio formalis objecti Theologiæ: immo huic soli formalitati conjungi potest, alias hoc ipso non esset actus ille Theologiæ, ergo id quod est objectum materiale